

# Decreto de la Signatura Apostólica de 31 de mayo de 2006

---

## Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

Prot. n. 37106/05 CA  
ILERDEN.

Iurium: Recursus adversus decretum Congregationis pro Episcopis diei 26 februarii 2005

(Exc.mus Episcopus Ilerdensis-Congregatio pro Episcopis)

Cum Exc.mus Legatus Pontificius in Hispania Commissioni ad executionem decreti diei 29 m. Iunii a. 1998 deputatae executorem singulum per decretum diei 10 m. Ianuarii a. 2005 suffecisset, Exc.mus Episcopus Ilerdendis remonstrationem prius porrexit, cui Exc.mus Legatus Pontificius die 27 m. Ianuarii a. 2005 per quandam decreti emendationem providit, recursum hierarchicum apud Congregationem pro Episcopis dein adversus decretum emendatum interposuit, cui Dicasterium, recursum reiciens, decreto diei 26 m. Februarii a. 2005 respondit, ac postremo die 11 m. Aprilis a. 2005 ad H.S.T. provocavit.

Die autem 25 m. Aprilis a. 2005 Exc.mus huius Supremi Tribunalis Praefectus, auditis Exc.mo Secretario et Rev.mo Promotore Iustitiae, recursum considerari non posse decrevit, utpote extra terminum peremptorium propositum. Quam reiectionem veluti in limine decretam impugnavit Exc.mus Recurrens.

Petita actus impugnati suspensione ab H.S.T. rite reiecta, partes per suum quaeque Patronum memoriale praebuerunt, cui Rev.mus Promotor Iustitiae Substitutus per votum pro rei veritate respondit. Quo notificato, Patroni suis pristinis memorialibus nihil addendum censuere.

Quibus praehabitis,

## Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

### AD TERMINUM PEREMPTORIUM QUOD ATTINET

Attento quod hoc Supremum Tribunal «cognoscit de recursibus, intra terminum peremptorium triginta dierum utilium interpositis, adversus actus administrativos singulares sive a Dicasteriis Curiae Romanae latos sive ab ipsis probatos» (art. 123, § 1 Const. Apost. *Pastor bonus*);

Considerato quod iuxta communem H.S.T. iurisprudentiam, salvo can. 1467 praescripto, dies feriat, qui intra terminum ad recurrendum cadunt, inutiles ipso facto haud putandi sunt, cum potius eorundem inutilitas ad normam praescripti can. 201, § 2 singulis in casibus probanda sit;

Animadverso quod Exc.mus Episcopus Ilerdensis, dum admittit se recursum apud N.S.T. post triginta tres dies interposuisse, ad recursum intra terminum peremptorium triginta dierum utilium probandum rationes adducit quae impares evadunt; nam

– ius civile hispanicum, quod, iuxta Exc.mi Episcopi Recurrentis animadversiones, dies inutiles habet dies dominicos, feriam Sextam Hebdomadae Sanctae atque omnes dies Saturni, iuri canonico haud praevalent;

– ignorantia terminorum vel error in terminis supputandis ex parte Exc.mi Episcopi minime praesumendus est;

### SUBORDINATE: AD RECURSUS OBIECTUM QUOD ATTINET

Considerato quod - etiam casu quo concederetur adhuc pendere exceptionem adversus Commissionis membra ex parte Nuntiaturae Apostolicae in Hispania selecta, de qua in recursu sub num. prot. 36517/04 CA - illa in causa Kalendis Februariis a. 2005 H.S.T. explicite statuebat: «Idem recursus, utcumque, non habet ullam vim suspensivam inaniter, proinde, Exc.mus Episcopus Ilerdensis illegitimitatem tenet actus impugnati ex eo quod ageretur «de materia que se encuentra en situación de litispendencia»;

Perspecto quod competentia in re ad Congregationem pro Episcopis certo pertinet; nam

– Const. Apost. *Pastor bonus* eidem Dicasterio tribuit ea quae Ecclesiarum particularium constitutionem, divisionem, unionem, suppressionem ceterasque immutationes, et provisionem necnon episcopalis muneris exercitium respiciunt in Ecclesia Latina (cf. artt. 75-76);

– haec competentia, salvis clausulis in artt. 75 et 78 eiusdem Const. Apost. nominatis, uti exclusiva habenda est (cf. etiam art. 14 eiusdem Const. Apost.);

– utcumque viget notum brocardum «Accessorium sequitur principale», cum in casu principale, immutatio nempe finium dioecesium, trahat accessorium, quaestiones scilicet exsecutorias cuiuscumque rationis;

– ad opportunitatem, tandem, atque discretionem, non autem ad legitimitatem actus, pertinuit optio hanc materiam collatis consiliis cum Congregatione pro Clericis vel cum Pontificia Commissione de Patrimonio Artis et Historiae conservando tractandi;

Animadverso quod Commissionis suffectio per exsecutorem singulum, cui terminus sat arctus ad suum munus explendum datus est, illegitimitatis nota iniuri nequit; nam - iuxta pernota brocarda “Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum”(c. 68, *de regulis iuris*, V, 12, in VI<sup>o</sup>) et “Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum” (c. 72, *de regulis iuris*, V, 12, in VI<sup>o</sup>) - qui libere executionis modum eligere potuit, libere pariter alium executionis modum seligere potest;

Vi art. 116 *Normarum Specialium* H.S.T.;

Re sedulo examini subiecta in Congressu coram infrascripto Praefecto die 24 m. Maii a. 2006 habito,

### DECREVIT:

Recursum non esse admittendum et facto non admitti ad disceptationem coram Em.mis atque Exc.mis Signaturae Apostolicae ludicibus, utpote extra terminum peremptorium propositum necnon, subordinate quidem, utpote quolibet fundamento manifeste carentem.

Summa a Recurrenti apud arcam Signaturae Apostolicae deposita retineatur pro expensis huius Supremi Tribunalis.

Exc.mus Episcopus Recurrens Cl.mo quoque Congregationis pro Episcopis Patrono congruum solvere tenetur honorarium.

Quod notificetur iis quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 31 m. Maii a. 2006.

Augustinus Card. Vallini, Praefectus.  
Velasius De Paolis, c.s. Secretarius.